jure sic comparatum est, ut si uni detur, expiret erga alterum obligatio. XI. *Identicæ* species est: *si Titius hæres erit, Sejus hæres esto; Si Sejus hæres erit, Titius hæres esto*, qualis institutio invalida est *l. 16. de Cond. Inst.*

XIX.

Post *Dispositiones perplexas* sequitur CONCURSUS PERPLEXUS, in quo, contrà quàm in *dispositione*, non intelligi potest, quis actor quis reus; nec quæstio est utrum alicui jus competat, sed posito omnibus competere, quis alteri sit præferendus, in quæstionibus ordinis seu prioritatis. Talis perplexitas est ad minimum inter tria, si nempe A præcedat τὸ B. B. præcedat τὸ C. & nihilominus, quod totam rem perplexam & circularem efficit in eâdem serie, ex alio principio, C. præcedat τὸ A. Sunt autem in omni concursu perplexo considerenda 4. (1) *Casus*, id est enumeratio concurrentium, v.g. A.B.C. (2) *Fundamenta Locationis*, seu positiones, quæ ad minimũ sunt, tres, sic: *Positio 1.* A præcedit B. *Positio 2.* B. præcedit C. *Positio 3.* C. præcedit A. (3) *Schema perplexitatis* est vel immobile, vel mobile. *Immobile enumerãdo tres Vias:*

Via (I) A per pos. 1. B per pos. 2. C. contra pos. 3. (II) B per 2. C per 3. A. contra 1.

(III) C. per 3. A. per 1. B. contra 2.

Schema Mobile *in frontispicio dissertatiunculæ* locavimus, in quo uno omnes viæ repræsentantur, quia triangulum circulo inscriptum mobile est, & modo hoc, modo illud loco primo, medio, ultimo applicari, & quid emergat observari potest. Fundo autem immobili inscripta sunt loca, quia Locus immobilis esse debet; triangulo mobili in cuspide, personæ; quia de iis variæ sententiæ & ordines & viæ sunt. Semper tamen A immediatum manet 7ῳ B, B 7ῳ C, C 7ῳ A. Inter locum autem I & II, item II & III semper obtinet τὸ PER, inter locum III & I. τὸ CONTRA, quia